



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 13. Synodi sententia contra Sanitiensem Episcoporum, ejusque
Instruktionem Pastoralem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](#)

Sæc. XVIII. scopum ablegabat, ut eidem significa-
A. C. 1727. ret, placuisse Patribus, ut quosdam

Præfules ex vicinis Provinciis ad Con-
cilium vocarent, ipse vero declararet,
utrum ex præfatis Provinciis quosdam
Episcopos aut sibi suspectos, aut ob de-
licta jure recusandos crederet, Syno-
dum quippe, si quid adversus horum
aliquem jure opponere posset, ejus ra-
tionibus cessuram: Verum hic Episco-
pus, quod contra aliquem ex his Pro-
vinciarum Episcopis opponeret, non
habebat.

§. XIII.

*Synodi sententia contra Sanitensem
Episcopum, ejusque Instruc-
tionem Pastoralem.*

Dies erat octava Septembribus, qua
decem hi Præfules una omnes ad
Embrodunense Concilium accessere:
Erant tum congregati quinque Provin-
ciæ Embrodunensis Episcopi Tencinus
Archiepiscopus Embrodunensis, Bour-
chenu Venciensis, Crillon Glandevensis,
& Antelmyus Graffensis Episcopi, præ-
ter Pucetum Diniensis Procuratorem. In
prima Sessione non modo Episcopi om-
nes sed cuncti S. Theologiae & Cano-
num Doctores emissa tidei professione
a Metropolitana Sacram Synaxin re-
cepere.

cepere. Postmodum singulis diebus ^{Sæc. XVIII.} præter particularem, cui duntaxat ^{A.C. 1727.} Episcopi intererant, simul Generalis habebatur Congregatio, ad qnam etiam Deputati, Theologi, & Canonicæ convenere. Præprimis igitur Synodi Præses in pleno Patrum confessu cuncta hucusque agitata retulit, ac rursus Sanitiensis Episcopi Instructionem Pastoralem prælegi jussit, quæ recitata Promotor petiit, ut eidem Episcopo nuntiaretur, jamjam advenisse Episcopos, qui ejus cauffam unacum Episcopis Provincialibus dijudicarent. Communicantur ergo eidem horum omnium Præfulum nomina, & servata juris forma admonetur, quod si Instructionem a se adoptatam non revocaverit, absdubio Synodum judicii acta in eum instructuram. Ad hæc Sanitiensis denuo reposuit, se Synodum pro Judice non habere, & possimmo ex Episcopis recens advocatos sibi merito ac gravibus ex cauffis suspectos esse. Hanc in rem Synodi Pastribus suas exposuit rationes, quæ tamen maturius expensæ unaomnes tanquam penitus nullæ & duntaxat ad elucidandam Instructionis suæ damnationem excogitatæ rejiciebantur. Nihilo minus tamen Episcopi suum Confratrem saepius salutatum venere, eum-
Hist. Eccl. Tom. LXXII. Gg que

Sæc. XVIII. que serio hortati sunt, ut tandem a
A. C. 1727. suis erroribus resipisceret: Præ ceteris

verò frequentius ipsum invisebat Sifta-
ricensis Præsul, quocum in familiari
quondam colloquio constitutus in hæc
verba prorupit: *Proh! quantum mihi
displacet, quod ii etiam, qui meis parti-
bus adhærent, bilinques sint: eramus una-
die in Cardinalis Noaillii ædibus congre-
gati; convenerat inter nos circa quemdam
doctrinæ articulum, & altera mox die eun-
dem penitus immutatum intelleximus: in
mea quoque Diœcesi reperiuntur paucissimi,
qui mecum in doctrina sentiunt, & plane
dolendum est, quod Ecclesia ad me unicum,
& Episcopum Montpessulanum restricta sit;
omnes enim ceteri Episcopi, etiam Appel-
lantes non ita sentiunt, uti tamen in præ-
senti controversia sentire deberent. Falsa
hac persuasione deceptus, locum salu-
tari aliorum consilio non reliquit; au-
res enim nimium credulas patefecerat
duobus impostoribus, qui a Quesne-
listis missi, ac solis ipsis cogniti Em-
brodunum venere: Hi enim, quamvis
ad Synodum non fuerint admissi, eo-
quod nec sua nomina indicare, nec
Sacerdotii ac conditionis testimonium
proferre vellent, assiduis tamen sug-
gestionibus effecere, ut infelix hic Epi-
scopus contra secundæ & adversæ for-
tunæ casus obdureceret; suæque per-
vicaciæ*

vicaciæ immoreretur. Desperata igitur ejus resipiscentia, Synodi Promotor petiit, ut in jus vocaretur ad accusationes contra ejus Instructionem motas responsurus. Synodus igitur statuit, ut ternis subinde diebus duo Episcopi superpelliceum ac Humerale indui unacum Synodi Secretario & duobus Notariis e loco confessus ad hunc Episcopum pergerent, eumque in Synodo comparere juberent. Facta tria hac citatione Episcopus ad Synodi Sacellum admitti petiit, quo concessso, dum generalis habebatur Congregatio, pulla veste & oblongo palio contextus comparuit, & postulavit, ut una secum duo Apparitores tanquam testes admitterentur, id tamen ei denegatum est, eoquod indecens foret, ut de culpa convictus cum testibus & multo minus cum Apparitoribus coram Judicibus compareret. Ergo solus Synodus accedit, & in infimo Aulæ loco sedens, contexto capite scriptum quoddam a se & Montepessulanio Episcopo signatum prælegit; cum autem ibidem ambo adverius puram & simplicem Formula ii subscriptionem vehementer protestarentur, & de continuo Ecclesiæ usu indignum prorsus in modum loquerentur, palamque contra Synodi acta reclamarent,

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

Gg 2 hinc

Sæc. XVIII. hinc Promotor trinas pro more com-
A. C. 1727. monitiones Canonicas fieri postulavit.

Hæ ergo fiebant eadem prorsus solemnitate, qua nuperæ citationes, ita tamen, ut inter quamlibet commonitionem longius intercederet temporis spatium. Admonebatur serio Episcopus, ut erroneas suas opiniones detestaretur, secus censuris pœnisque Ecclesiasticis Synodum in eum animadversaram.

Præterea Synodus solemnem indexit supplicationem, & Sacratissimam Hostiam publice circumferri, atque in Metropolitana Ecclesia per integrum diem exponi jussit. Ast incassum ad habitis omnibus paternæ mansuetudinis, fraternæ charitatis, & Christianæ patientiæ mediis Synodus, invita licet, grave hoc negotium per definitivam, ut ajunt sententiam terminare statuit. Illuxerat dies vigesima Septembris, qua approbatis, quæ Promotor instruxerat, judicii actis Synodi Patres hanc in rem convenerant. Tenuit hæc Sessio integras omnino quinque horas, quo toto tempore congregati Patres veluti acerbo dolore confecti, in Deo absorpti. Spiritu sancto animati, ac sententiæ mox ferendæ sacro horrore perculti, tam magno miroque silentio defixi hærebant, ut ex cunctis

Synodi

Synodi Patribus ne ullus audiretur, Sæc. XVIII.
qui aliquid concitatius, aut inconsul- A. C. 1727.
tius, vel extra ordinem ediceret. In-
vocato igitur Divino Nomine Pastora-
lem Sanitensis Episcopi epistolam una-
nimi suffragio damnant *ceu temerariam,*
scandalosam, seditionisam, injuriosam Ec-
clesiae, Episcopis atque auctoritati Regiae,
schismaticam, hæretico spiritu plenam,
erroribus scatentem, & hæresibus faven-
tem, præcipue in eis, quæ ibidem circa pu-
ram & simplicem formularii subscriptionem
continentur, & falso ac injuriose adversus
Constitutionem Unigenitus proferuntur,
ac denique in commendationem reflexionum
moralium jactitantur. Pronuntiata hac
censura Synodus sub poena excommu-
nicationis ipso facto incurrendæ, at-
que Ordinario reservatæ inhibuit, ne
ullus hanc Instructionem legeret, aut
distraheret. Quantum vero ad ipsum
Sanitensem Episcopum Synodus pro-
nuntiavit, eum ob suos errores, quibus
pertinaciter immortuus esset, ab omni
potestate ac jurisdictione Episcopali,
necon ab omni tam Episcopalis, quam
Sacerdotalis Ordinis functione esse su-
spensum, cunctis etiam Ecclesiasticis,
qui ab eo quodcumque beneficium offi-
ciumque accepissent, omnes suæ digni-
tatis vel procurationis functiones iu-
terdictas esse. His ita gestis Synodus

Gg 3 Sa-

Sæc. XVIII. Sanitiensis Diæcesis Regimen Abbatii de Saleon postmodum Ruthenarum Episcopo demandavit, eique in Vicarium Generalem nominato injunxit, ut Sanitium delatus Diæcesanam haberet Synodum, cunctisque, qui vel ad S. Ordines, vel ad Beneficia promoverentur, ut formulario, si nondum subscrispserent, pure & simpliciter subscriberent, præcipiteret, nec non præfatam Instructionem ex Episcopatus tabulis deleret, aut ex aliis scriptis, si eadem doctrina in iis contineretur, expungeret, nullaque mora Constitutionem *Unigenitus* per universam Diæcesin publicari curaret.

§. XIV.
Gratulatoria Benedicti XIII. Papæ epistola ad hujus Synodi Patres.

Hujus Synodi acta Embrodunensis Archiepiscopus ad Benedictum XIII. Pontificem Maximum Romam misit, unacum epistola Synodali, in qua Patres non modo Synodi decreta, sed etiam sententiam in Sanitiensem Episcopum pronuntiatam Apostolica auctoritate confirmari, permisso petebant. Ad horum igitur preces inclinatus Pontifex die decima septima Decem-